

# ARCHIVIO DI STATO. VENEZIA

DOCUMENTO I.<sup>o</sup>

## Lettere di Rettori — Busta unica n. 5.

Serenissime Domine Noster. Credebamus quod peticionibus et negotiis Januensium finis esset impositus per verba que dixerat Dominus Papa nobis, sicut litteris nostris datis III<sup>o</sup> mensis presentis, Vestre Magnificentie scriptum fuit. Set alia contra vos de novo surexerant que ijdem Januenses in dampnum vestrum maximum nitebantur. Pridie siquidem, Dominus Papa fecit nos vocari ad suam presenciam, dixit quod ambaxatores Januensium fuerant in publico consistorio et multa posuerant contra Vos et vestrum Comune, et porrexerant quandam scripturam per quam petere et concludere videbantur quod fieret per Ecclesiam interdum quod aliquis christianus non posset navigare ad locum Tane, et alia loca Imperatori Tartarorum supposita a Caffa supra. Dixit quod nos faciemus dari vobis copiam ipsius scripture, ut ad posita per eos respondere possitis: habuimus itaque copiam eius scripti, quod ipsi porrexerant ipsumque transcribi fecimus. Scrisimus quomodo, habitu scripto predicto, hoc negocium ad dubium et periculosum punctum pro vobis fore perductum, nam ipsi Januenses habebant multos de cardinalibus et de potentioribus qui erant dispositi facere que petebant. Set nos de hoc nec in cassum dubitantes ut . . . . . cum solecitudine visitavimus singulos cardinales, dicentes multa contra ea que per Januenses posita fuerant et recomendavimus illis vestra negocia. Ad ea vero que Januenses posuerant contra vos, fecimus respondere et notari oppositiones et alegationes nostras et, positis ipsis ordinate in scriptis, fuimus in consistorio coram Domino Papa et omnibus cardinalibus, et diximus pro iuribus vestris ea que dicenda fuerant et porrexiimus ipsas alegationes et oppositiones nostras. Exemplum igitur peticionis et scripti Januensium et appositionum et alegationum quas fecimus contra eos, vobis mittimus hiis inclusum. Et adhuc non potuimus clare sensisse si ipsi Januenses habuerunt a sua peticione repulsam. Plures tamen cardinales nobis dixerunt quod de intencione Ecclesie non erat facere ipsum interdictum aut aliam novitatem, sed laborabat Ecclesia reperire